

Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio LXVI. Argumentum. Disputatur famosa Quæstio an licitè à Judæis exerceantur Usuræ? Vera declaratio text, Deuter. 23.19. quem Judæi ridicule interpretantur pro Usuris faciendis, etsi prohibitæ ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

tia tom. 3. disput. 5. quest. 22. part. 2. & Nicolius ubi supra. Et hæc conditiones servandæ veniunt etiam in contractu livelli.

Ex Constitutione autem sanctæ memoriæ S. Pii Quinti, [quæ incipit Cum onus Apostolica servitutis, lata Romæ Anno 1569. in princip. Ugolin. de Usur. cap. 42. & quæ in Bullar. la 79. tom. 2. pag. 208. & de cuius non usu, vel contrario usu in materia censuum, neminem dicere, aut allegare posse, respondisse Sacram Congregationem testatur Nicolius d. lib. 3. tit. 24. num. 29. quia tanquam declaratoria juris naturalis, & divini est ubique servanda, quod etiam sustinet Comitatus d. lib. 3. quest. 27.] duodecim sequentes conditiones requiruntur.

1. Ut census imponatur super re immobili.
2. Quæ sit fructifera.
3. Ut certis finibus sit designata, & sic non sufficit, illum imponere generaliter super omnibus bonis præsentibus, & futuris.

4. Ut in stipulatione Instrumenti pecunia realiter exbursetur, & numeretur ab emptore venditori census in præsentia Notarii, & testium, idem non sufficit eam ante numerasse, vel creditorem de ea extitisse, quicquid dicat Diana part. 1. tract. 8. resol. 44. pro foro conscientiæ, quæ in Coordinato est tom. 6. tract. 3. resol. 69.

5. Nè pensiones census solvantur anticipatæ ex pacto sed terminis maturatis, & semestribus transactis.

6. Ne venditor obligetur ad casus fortuitos, puta si domus incendio periret, vel molendinum excrecentia aquarum, vel chasmate [id est, si terra aperiatur, & ibi fiat vorago] fundus destruat: in his enim casibus etiam census perit, & censuarius non tenetur ampliusolvere pensionem.

7. Ne fiat pactum restringens libertatem censuario alienandi rem censui subjectam, vel quod teneaturolvere laudemium censualistæ pro obtinenda licentia illam alienandi.

8. Tenetur tamen censuarius volens vendere rem censitam admonere prius emptorem census, & illum unicuique præferre, si eandem rem velit acquirere.

9. Ne censuario, moroso in solvenda pensione, imponatur aliqua pœna pecuniaria, nisi ob damnum emergens.

10. Ne pensiones maturatæ, & non solutæ convertantur in capitali, & augmento census.

11. Ut semper sit liberum censuario redimere censum, restituendo pretium censualistæ, à quo propterea hæc libertas nunquam auferri, seu limitari potest: debet tamen censuarius id denunciare censualistæ per duos menses, antequam redimat, & eis transactis realiter pecuniam in liberum depositum tradere, & de ea intimationem legalem facere. Rota post Cencium decis. 277. num. 9.

12. Tandem conditio est, ut censuarius non obligetur ad se affrancandum, seu ad censum redimendum, nisi in duobus casibus: Uno, quando ipse prius denunciaverit censualistæ, velle se affrancare, nam transactis duobus mensibus cogi potest à censualista, ut se affrancet, & censum redimat. Altero, si censuarius fuerit morosus in pensionibus solvendis, & pactum factum fuisset, quod in tali mora cogi posset ad affrancationem. Rota post Cencium decis. 147. a num. 7. & seqq. Molina disput. 391. clausula 11.

Lessius lib. 2. cap. 22. dub. 11. num. 69. & Cardin. Mantica de Tacit. & Ambig. lib. 8. tit. 22. à num. 22. Porro de iustitia, seu iniustitia huius pacti latius scripsit Clerus noster circa livellum in Decis. LXVII. & nos ibi.

Verum quia disputant Doctores, utrum supradictæ omnes conditiones vigore Bullæ Piænæ sint de substantia contractus, ita ut si una quæque ex eis deficiat, contractus census sit nullus? Vel potius si adjiciantur pacta contraria supradictis conditionibus, vitientur quidem pacta, sed ipsa non vitient contractum? Notarunt scribentes nostri ex communiori Doctorum opinione, si quatuor primæ conditiones tantum deficiant, deficere contractum, ita ut si res non sit immobilis, vel fructifera, vel certis finibus designata, vel pecunia realiter numerata non sit coram Notario, & testibus in stipulatione Instrumenti, census contractus sit invalidus; at cæteris conditionibus deficientibus per contraria pacta validus est contractus, quia ipsa pacta contraria vitiantur, & non vitiant, ut abundè docent DD. Nicolius d. lib. 3. tit. 24. à num. 54. & seqq. Rebell. dict. lib. 10. quest. 7. & 8. & Salas de Censibus dub. 31. Supradictæ omnes conditiones in his Versibus restringuntur.

Quærere si rectè Censum cupis, elige fundum,
Qui referat fructus, limitibusque nota.
Et pretium Domino vendenti in limine iustum
Dinumerat, ut rebus consulat inde suis.
Fraudibus, & pactis careat contractus iniquis,
Qua vetuit Quinti Sanctio sancta Pii.

His stantibus proponitur sequens casus:

Parochus interrogatur à renello Notario, quot conditiones sint de necessitate servandæ juxta Bullam S. Pii Quinti in constituendo censu? Quæritur, quid dicturus sit Parochus?

Dixere omnes, tradendas esse decisiones has per Parochum Notario, ut eas legat, & se instruat. Addiderunt, posse hac occasione arrepta Parochus ipse monere Notarium, ut à celebrandis Instrumentis contractuum, aut simulatorum, aut fœnerationum omninò caveat ob culpam mortalem, in quam incurrit, etiam cum onere restitutionis faciendæ parti læsæ ex magis probabili Doctorum sententia, ut videre est apud Cardin. de Lugo disput. 51. sect. 2. & Card. Toletum lib. 5. cap. 41.

DECISIO LXVI.

ARGUMENTUM.

Disputatur famosa Quæstio: An licitè à Judæis exerceantur Usuræ? Vera declaratio text. Deuter. 23. 19. quem Judæi ridiculè interpretantur pro Usuris faciendis, etsi prohibetæ sint cum quocunque.

SUMMARIUM.

1. Judæi an licitè usuras faciant cum Christianis?
2. Deuter. 23. Vers. 19. Non fœneraberis fratri tuo, sed alieno: Declaratio.
3. Judæis olim permissum fœnerari cum alienis, sed non concessum.
4. Amorheorum, & Chanaanæorum bona Judæis à Deo addicta.
5. Julius Maurocenus Judæus ad fidem conversus laudatus.

6. Ju-

6. Judaeorum iniqua interpretatio text. Deuter. ut exerceant usuram.
 7. Principes, Imperator, Papa an possint concedere Judaeis, ut usuram exerceant?
 8. Judaeis ad fidem conversis an Papa possit condonare Usuras?
 9. Judaeis illicitum est cum quocunque Usuras exercere.

Judex timorata conscientia consultat Confessarium, an vigore Testamenti Veteris Judaei possint fœnerari Christianis? Quaritur, quid sit responsurus Confessarius?

Dictum fuit, à Confessario respondendum esse Judici petenti, quod Judaei licite non possint fœnerari Christianis, ea ratione, quia usura prohibita est Jure Naturali, & Divino, ut Clerus noster probavit supra Decis. xxv. & constat evidenter ex cap. Quia in omnibus. cap. Super eo, & cap. Consultat, de Usuris. Nam à Domino dictum est Ezech. 18. num. 8. Qui ad Usuram non accommodaverit, & amplius non acceperit, hic justus est, vita vivet, ait Dominus, & num. 13. Ad usuram dantem, & amplius accipientem: nunquid vivet? Non vivet, cum universa hac detestanda fecerit, morte morietur, & num. 17. Usuram, & superabundantiam non acceperit. Item in Psal. 14. legitur num. 5. Quis ascendet in montem Domini, &c. Qui pecuniam suam non dedit ad usuram. Quos text. & alios allegat Salas de Usuris dub. 3. num. 2, & Molina disput. 304.

2. Neque suffragatur Judaeis textus, quem adducunt Deuter. 23. Vers. 19. ibi: Non fœneraberis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno. Fratri autem tuo absque usura id, quo indiget, commodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo, in terra, ad quam ingredieris possidendam. Quandoquidem huic textui tres dantur responsiones.

Prima, quod in Textu vero, & Bibliis Hebraicis correctis non habeantur illa verba sed alieno: quæ addita fuisse à Concilio Sannedrin, vel à Glossa testantur aliqui, quos citat Salas dict. dub. 3. num. 6. & alii plurimi, quos allegat Rota part. 5. recent. decis. 301. à num. 31. usque in fin. & qui optime respondent prædicto textui Scripturæ Sacrae.

3. Secunda est, quæ desumitur ex S. Th. 2. 2. quæst. 78. art. 1. in resp. ad secund. ubi sic ait: Quod autem ab extraneis usuram acciperent, non fuit eis concessum quæst. licitum, sed permissum ad majus malum vitandum, ne scilicet à Judaeis Deum colentibus usuram acciperent propter avaritiam, cui dediti erant, ut habetur. Isaia 26. Idem docet S. Doctor quæst. 12. de Malo art. ultim. Igitur permittebatur fœnerari alienis, sicut nunc permittuntur meretrices; non quia licitum est meretricari, sed majoris mali causa evitandi; & sicut permittebatur libellus repudii ad duritiam cordis Judaici. Molina dict. disputat. 304. num. 15. Covarruv. Variar. lib. 3. cap. 1. num. 7. & Cardin. de Lugo disput. 25. num. 12.

4. Tertia responsio est, tunc fuisse permissam usuram Judaeis in Chanaanos, & Amorrhæos, quorum terram possidendam Deus eis tradiderat, & per consequens etiam pecuniam, & bona mobilia, adeo ut sicut non peccabant occidendo Amorrhæos, & Chanaanos in bello tanquam hostes Dei, ita neque eorum bona per usuram auferendo; quod colligit ex D. Ambrosio lib. de Tobia cap. 15. Cornel. à Lapide ibidem, ut dictum est supra Decis. LVII. num. 10. & notant Conradus, & Medina quos refert Pignatell. tom. 4. Consult. 75. num. 46. ubi eruditè deducit, ex illo textu perperam Judæos inferre, eis licitum esse usu-

ram facere cum Christianis: nos enim neque alieni, hostesve Dei appellandi sumus, neque bona nostra illis à Deo addicta sunt, sed à nobis ipsi miserrimi tolerantur, & in sinu nostro ex charitate, & pietate foventur.

Porro non est omittendum, tantam esse Judæorum malitiam, ut neque inter se ipsos abstineant ab usuris, & profiteantur id sibi licere; quod quomodo faciant, jucundè explicat Julius Maurocenus Venetus, Lector hebraicæ linguæ in Collegio Romano de Propaganda fide, Vir tùm eruditione rituum hebraicorum, tùm pietate, post amplexam Catholicam fidem, laudabilis. Ipse in opere suo typis impresso Romæ Anno 1683. inscripto Via della sede mostrata à gli Ebrei, p. 3. cap. 15. cum ostendisset, Judæos etiam inter seipso usuram frequentare, ita dicit: *Semite. In Roma: Venezia, & altri luochi di Italia, dove tengono aperti i banchi, accommodano le parole di Dio, e le fanno di negative, che sono, diventare affermative. Leggono dunque il testo di sopra in questa maniera, e per via d'interrogazione: Allo straniero darai ad usura, & al tuo fratello no? Il che muta in tal guisa la sentenza del periodo, che non solo permette, quanto prima proibiva, mà lo rende meritorio, facendo questo sentimento? Come: darai tu allo straniero ad usura, e non darai al tuo fratello? Fai male: devi più tosto praticarla con quello, cheusarla coll' altro. E così mentre fanno due sceleraggini: l' una di viziare le sacre lettere, e l' altra non obbedire al precetto, si credono di osservarlo, e di meritare.* Ita ille, qui tot annos fuit Rabbi in Synagogis, & informatissimus Judaicarum perveritatum.

Igitur tantum abest, licitum esse Judæis fœnerari virtute Testamenti veteris nobis Christianis, quod imò à Judicibus, & Magistratibus sunt acriter puniendi ob usurarum crimen, ut doctè probat Marquard. de Judæis l. 1. cap. 11. & novissimè Pignatell. d. tom. 4. consult. 75. num. 48. ubi bene adjungit, quod nullus Princeps, neque Imperator, neque Papa possit concedere licentiam Judæis, ut fœnerentur, resistente lege Divina usuram damnante, contra quam nulla derogatio, aut dispensatio valet, ut firmant DD. ibi per Pignatellum allegati; inter quos Paulus de Castro consult. 397. lib. 2. & facit Clem. 1. de Usur. Porro an Judæis venientibus ad fidem Christianam possit Papa concedere, ut retineant acquisita per Usuram, & eos à restitutione liberare? distinguendum est inter usuras ab incertis personis collectas, & in his Papa gratiam facit, ut eas sibi retineant titulo elemosynæ, quam Ecclesia, cui erant consignandæ, illis elargitur, juxta tenorem Bullæ XXXII. Pauli Papæ III. & inter usuras à certis personis exactas, & in his Papa condonare potest Judæis ad fidem conversis restitutionem alicujus portionis; interpretando, quod eam sibi retineant ratione lucri cessantis, vel damni emergentis; cum Judæorum eorundem pecunia esset negotiationi destinata; ita ut solus excessus in lucro veniat restituendus juxta text. ac DD. à Pignatello dict. consult. 75. à num. 87. & seqq. allegatos. Exterùm isdem Judæis viventibus in Judaismo nunquam licitum fuit, aut esse potest, usuram exercere, ut bene demonstrat etiam Cornel. à Lapide in cit. Deut. cap. 23. Vers. 19. ubi leges Athenienfium, ac Romanorum congerit labem Usurariam proscribentes; quare multò magis Judices Christiani debent esse severi contra Judæos Usurarios.

DE.